

<b>Zeitschrift:</b>	Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
<b>Herausgeber:</b>	Litteris Conradi Orellii et Soc.
<b>Band:</b>	- (1752)
<b>Heft:</b>	28
<b>Artikel:</b>	Christophori Tretii, [...], epistola ad Tigurinos de tumultu Cracoviensi anno 1574
<b>Autor:</b>	Tretius, Christophorus
<b>DOI:</b>	<a href="https://doi.org/10.5169/seals-394729">https://doi.org/10.5169/seals-394729</a>

### Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

### Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

### Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

**Download PDF:** 24.08.2025

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

CHRISTOPHORI TRETHII,  
POLONI, \*  
EPISTOLA  
ad Tigurinos  
DE TUMULTU CRACOVIENSI  
Anno 1574.  
Ex autographo.

Reverendis & Clarissimis Viris, Doctissimis Hominibus,  
HENRICO BULLINGERO, RODOL-  
PHO GUALTHERO, JOSIAE SIM-  
LERO, LUDOVICO LAVATERO,  
WOLFGANGO HALLETO, ceterisque  
Symmystis Iesu Christi servis eximiis, Dominis ac  
Præceptoribus colendis.

**Q**uemadmodum qui ex longa navigatione  
velificant, libenter ad portum tutissi-  
mum properant, quo liberati ex pericu-  
lis & discriminibus libere respirare possint: Ita  
sane ego, Viri Clarissimi ac Præceptores summa  
obser-

\* *Christophorus TRETIUS*, Polonus, eximiae  
pietatis & eruditionis vir, saepius ab Ecclesiis Po-  
lonicis, quæ puriorem doctrinam profitebantur,  
in causa Stancari & Anti-Trinitariorum ad Ger-

obſervantia colendi, credebam plane me idem facere posſe, ſcilicet ex moleſtiis peregrinationis meae venturum in patriam & lares meos, atque ad conjugem & liberos, & quod maximum eſt ad Eccleſiam noſtrā & fratres cariſſimos, & tum me reperturum levamen ac ſolatiū ſuavifſimum omnium tædiorum. At aliter ſe res ha- bēnt, falsusque ſum mea opinione. Nam in ipſo portu, ut dicitur, impegi, id eſt, cum appuliſ- ſem domum, incidi in ſummas perturbationes statum-

---

manas, præcipue vero Helveticas Eccleſias, annis videlicet 1562, 1563, 1567, 1574. &c. miſſus fuit. Id quod melius referre non poſſumus, quam verbis Simleri in præf. ad libros de æterno Dei Filio &c. Tiguri 1586. editos. Sic vero ille:  
 „ Ab tempore, quo Polonicæ Eccleſiæ institu-  
 „ tæ ſunt, magna ſemper illarum ex Helveticis  
 „ & Sabaudicis Eccleſias conjunctio fuit; Volue-  
 „ runt igitur Poloni in hac etiam cauſa (doctri-  
 „ nae ſcil. S. S. Trinitatis) illarum judicia cognos-  
 „ cere. Itaque miſere ornatissimum Virum, D.  
 „ Christophorum Thretium, qui & harum Eccle-  
 „ ſiarum & celebriorum Academiarum per Ger-  
 „ maniam judicia conquireret: Quod cum ille  
 „ fuſcepiffet, pro ſuo indeſeffo studio propagan-  
 „ dæ veræ religionis, non modo Eccleſiarum  
 „ judicia conquisivit, ſed ubique notos ſibi ho-  
 „ mines S. Literarum Profefſores excitare & com-  
 „ monere non deſtitit, ut & ipli publicis ſcriptis  
 „ quaſi ſocia arma Polonis jungentes, hostes  
 „ Christi oppugnent. Cum autem idem a me  
 „ præſens peteret, & abſens quoque pro ſua

statumque inveni Urbis & Ecclesiæ nostræ valde concussum & commotum ob seditionem excitatam. Quis enim putasset homines nostros tale facinus ausos, quod Gallicis motibus esset affine? ni fortasse dixeritis nostros hoc Gallico scelere affricatos, ex tot tantaque Gallorum turba, quæ hic aliquandiu hæsit. Pontificiæ enim Religionis sectatores, quos vulgo Catholicos vocant, Cracoviæ in urbe metropoli minoris Poloniæ, uti nos sis, insperatam seditionis tempestatem excitarunt, & inopinatum latrocinium summa cum licentia, ac impune, evertendo ædes sacris concionibus orthodoxorum dicatas, perpetrarunt. Quod scelus quam grave ac periculosum fuerit, denique unde

Tom. VII.

Mm

ini-

„ amicitia literis solicitaret, & in eum usum pro „ sua industria &c. multa adversariorum scripta „ subministraret, tandem me perpulit, ut præ- „ senti (cum denuo superiori anno i. e. 1567. ad „ nos rediisset) fidem darem, me aliquid in hac „ caufsa conaturum esse. Itaque hic meus labor, „ qualiscunque tandem est, Thretio meo potissi- „ mum debetur, qui nullum mihi excusandi lo- „ cum reliquit. “ Hactenus ille: ceterum dole- „ mus, optimi hujus viri, cui multa profecto dis- „ crimina periculaque pro veritate adeunda fuere, „ nullam fere memoriam esse superstitem, quum „ tamen multorum, qui neque pietate neque doc- „ trina illi pares fuerant, etiamnum magna est fa- „ ma. Itaque pietatis esse existimavimus, præsen- „ tem epistolam, tenerimi amoris in Tigurinos „ testem, edere, ut vel hoc saltem modo memo- „ riā ejus conservaremus. J. J. SIML.

initium sumserit, & quomodo tandem finitum sit, ex hac succincta descriptione (antequam ad alia veniam) intelligetis. Profecto Dominus Deus suorum vindex & assertor, sic nihilominus suis prospexit, ut sceleratorum rabies non sit effusa eo usque, quo mala mens & pessimus animus hostium Christi collimabat. Rogandus itaque Christus pastor Ecclesiæ suæ summus & piorum omnium Princeps, ut Sathanam sic furere incipientem apud nos compescat ac comprimat. Videre enim poteritis aper-te, qualis sit status Ecclesiæ apud nos, nutans scilicet ac vacillans & ruinæ proximus, nisi ille ipse pastor sua invicta dextera nostros confirmaverit.

Decima Octobris, qui fuit Dominicus dies, cum in cœtu eorum, qui profitentur orthodoxorum religionem, habitæ fuissent conciones, tam mane, quam a meridie, tunc temporis, ut fere moris est, celebratio matrimonii habita est, idque non statim a concione illa pomeridiana, sed circiter horam post, non cito adventante pompa nuptiali, quæ ex suburbis, ubi cerdones habitant, prodibat. Quare plebs cum animadverteret frequentem panegyritm, confuit turmatim in illas ædes sacris concionibus orthodoxorum dicatas, accurunt pueri, fœminæ, studiosi multi & scholastici Academiæ Cracoviensis, inconditumque hominum genus. Minister verbi, hymno sacro, lingua populari præmisso, accingit se ad parænesin de matrimonio, ejus dignitate, ac sanctitate, qua absoluta incipit sponso ac sponsæ præire in forma mutuæ sponsionis & stipulationis, ac cum jam ad finem adjungeret hanc clausulam: *Quod felix faustumque sit, auspice Deo Opt. Max. Patre, Filio,*

&amp;

& Spiritu Sancto. Tunc scholastici & studiosi exclamare, illum Ministrum improbe omisisse Virginis Mariæ & Sanctorum invocationem, aliis denique cachinnis singula ac maledictis perstringunt totam actionem, imo insolentes quidam scholastici, concionante illo Verbi Ministro, cui Paulus Gylovius nomen est, lapillos aliquot ei projecerant, qui vir, ut est imperterriti animi, ista floccifecit. Scommata etiam & Sarcasmos Scholastici illi & Studiosi impune effundebant, sed patientia Ministri, & silentium quorundam, qui illic aderant, donare videbatur acerbitatem animorum vulgi. Et cum jam egressa esset ex illis ædibus tota hominum multitudo, sic ut ne unus quidem superesset, turba scholasticorum & studiosorum ante ædes adstitit, clamoribus omnia implet, contumeliis locum & religionem afficiens, ac nescio quo genio malaque mente percita, & quodam celeumate facto, arripiunt saxa, lapides latericios, & quicquid est obvium, summoque cum impetu jaciunt in fenestras vitreas, tam inferioris loci, quam superioris tabulati, sic ut intra mediam horam magnum damnum intulerint ipsis fenestris. Nullum sane fuit cubiculum, ubi non fuerint fractæ vitreæ fenestræ. Hanc insolentiam tulit æquo animo ille Minister, existimans hosce insanos, aliquo damno illato, cessaturos. Prohibet illos irritari. Verum cum videret eos magis furere, mittit ad Consulem, qui eum commonefaciant de tanta insolentia. Deinde eadem indicari jubet Subpræfecto Arcensi. Quare paullo post advenerunt quatuor aut quinque lictores urbani, ad quorum adventum aliquantulum dispellantur scholastici illi insolentes. Verum postea studiosi,

& quidam errores ex mechanicis artificibus illis minitando eos abigunt, nec interea desinunt in solescere & fenestrarum reliquum lapidibus confringere.

Dum itaque rumor istius motus pervagatus fuisset per urbem, & usque in arcem delatus, accurrunt ex arce Nobiles aliquot cum decem gregariis militibus arcis custodibus, ad quorum adventum plebs diffugere cœpit, & studiosi. At repente ex suis domiciliis, quas vulgo Bursas i. e. communia contubernia vocant, erupit studiosorum maxima cohors, armis omnique telorum genere instructa, & recta contendit in ædes cœtus orthodoxorum, quo cum venissent, statim provocant manus consertum illos Nobiles & eorum milites. Descendunt in arma, gladiis res geritur, & cum unus Nobilium incautius pugnaret, a quodam studio ingenti saxo petitur, & statim prostratus ac velut mortuus jacet. Alter Nobilis miseratus sortem socii eum tegit & defendit quantum potest, sed tam copiose in eum pluunt lapides, ut etiam eodem fere fato sit in terram dejec-tus, quo & aliis. Animos tamen famuli illorum se defendunt, nec terga vertunt, quin illos duos Nobiles sic exanimatos ad se pertrahunt & obtengunt, quantum possunt, donec ad se redeant. Interim dum sic pugnatur, Subpræfectus Arcensis properat in auxilium suorum venire, cum sua militum manu, & aliquot Nobilibus amicis.

Is cum jam venisset, hinc & inde aufugiunt omnes & recedunt. Unde recta ædes cœtus adit, circumspicit ferox facinus seditiosæ multitudinis,

&amp;

& communitatis multis verbis cum Ministro, jubet illum tutum esse ac securum. Attamen ille reditum cum suis parans; statim plebs insana & studiosorum manipulus in eum impetum facit. Oportuit itaque bis cum illis congredi, & tertio tandem eos felicissime fugant e medio foro. Sic jam vespera noctis hanc pugnam finivit, & Subpræfectus paullulum deflectens in prætorium ad Consulem, salvus & incolumis in arcem rediit, licet jaçtaretur, multos per compita urbis & plateas in insidiis dispositos esse. Ceterum complures ex ejus militibus sauciati fuerant. Hæc fuit protasis istius flagitiosæ tragœdiæ, quæ ipsi Subpræfecto non videbatur ulterius progressura.

Nam postridie mane mittit ad Rectorem Academiæ expostulatum & conquestum de illa seditione mota a suis studiosis. Respondet Rector Academiæ, se istud vehementer dolere, & inquisitum in tam effrenes & petulantes studiosos, & pœnis affectum iri. Quo intellecto Subpræfectus mittit hæc indicatum & significatum Ministro cœtus & fratribus, jubetque bono animo esse, nihilque subesse periculi, imo per Præconem & Nobilem, ut in more positum habent Poloni, præcipit singula damna lustrari, quo deinde referantur in libros publicos, & ædes claudi. At vix XV. hora audita erat, cum iidem errores & mechanici ac studiosi illis succenturiantes incipiunt per vim infringere fores illarum ædium contis & maximis lignis adhibitis. Confluunt seditiosi omnes turmatim ante illas ædes, ut illas expugnant. Acerrime igitur oppugnatur domus illa, aliis fortes potentibus, aliis etiam cancellos ferreos effringere

nitentibus. Adeo furiosis animis res geritur, quamvis quidam in illis ædibus, quantum poterant, eorum impetum arcebant. Divulgatur fama de oppugnatione illarum ædium per urbem. Quo circa ad hunc rumorem excitus Cancellarius Regni eo venit cum duobus Canonicis. Ejus quidem aspectum reverita plebs aliquantulum cessat ab oppugnatione; sed sua oratione inde eos abigere nequit, quin discedentem bonum senem sannis & dicteriis prosequuti sunt. Canonici fingunt se ituros in Collegium ad Rectorem, hortaturi ut revocet suos studiosos, & contineat in officio.

Interea pergunt in suo furore flagitosi homines, ac ingeminant suos impetus toties, ut tandem uno fere tempore fores frégerint, & cancellos ferreos abstulerint. Hic vero observandum ipsum Ministrum vix passum fuisse, ut inde discederet, & se vitamque suam servaret, ac eripiet; adeo fidebat auxilio Magistratus, quem etiam eo tempore valde anxium, & torqueri nesciebat.

Etenim urbanus Consul suos collegas illi consilio adesse nolle videbat, populumque suis mandatis inobsequentem. Dictabat enim esse Præfecti Arcensis mederi istis turbis & motibus. Subpræfectus Arcensis paraverat instruxeratque se, sed quidam ex Canonicis illum adiit & monuit, ut amicus, ne arcem desereret, ni vellet in duplex discrimen venire. Primum quasi eo abeunte ex arce, illa esset occupanda, & deinde conjuratum esse in ejus caput. Quamobrem is territus istis vocibus in arce tota ea die & sequenti se continuuit. Sic metu injecto utrique Magistratui, laxatae sunt habenæ seditionis ad omnem proterviam & scelus.

Inte-

Interim afflictissimus Minister animadvertis  
jamiam invasuros ædes, vix in vicinas ædes per  
tecta elabitur, relicta omni sua Bibliotheca, &  
alia suppellectile. Ubi igitur irruerunt in illas  
ædes seditiosi, tanquam prædones non modo il-  
las evertere, omnia corrumpere, sed & suppellec-  
tilem satis pretiosam cuiusdam Nobilis, qui  
etiam ædes illas incolebat, diripere. Sic patent  
ædes & expositæ sunt etiam vilissimæ aliorum  
prædæ ruinæque horrendæ. Nam a XVIII. ho-  
ra usque ad XXIV. spoliatio & eversio illarum  
ædium duravit. Deus bone, quanto furore &  
licentia vidisses vestes, libros, vasa argentea &  
alterius materiæ, pecuniam illius Nobilis viri in-  
habitantis, & aliam suppellectilem efferri passim  
cum maximo risu, & impune.

Audita quidem fama expugnationis & direptio-  
nis, Consul, ut potuerat, evocaverat cives, qui  
famulos suos armatos mitterent, ex quibus cum  
aliquot collegisset, emittit circiter XL, qui, si  
fieri possit, istos prædatores fugare possint, ne  
majus damnum illis ædibus inferretur. Homines  
illi, armis instructi ab ipsis seditiosis sunt admissi  
in ædes, sed postea in eosdem corrunt, alias vul-  
neribus cruentis afficiunt, alias ex altis fenestris in-  
imum præcipitant. Ita pulchre scelerati seditiosi  
missos a Magistratu excipiunt & tractant. Partim  
igitur illi exuti armis, partim in fugam versi,  
partim sauciati lethaliter sunt. Quapropter sine  
intermissione ita prædantur, spoliantur & ever-  
tent omnia in illis ædibus, ut tandem nox istos  
latrones oppresserit, ubi ne quid illorum impie-  
tati deesset ausi sunt moliri triumphum, & de tam

turpissimo latrocinio trophæum (quasi re bene & præclare gesta) erigere. Nimirum excitant ignem in compito plateæ ex asseribus & aliis fragmentis, ubi tum vulgarium Scholarum studiosi in gyrum dispositi Te Deum laudamus : *Contere Domine inimicos nostros &c.* cantare cœperunt & alias conciones, non aliter quam de devictis Scythis aut Turcis : Qui clamores & voces horrendæ auditæ sunt, supersedeo dicere. Ignem dicebant esse & rogum in quo Lutheranos cremarent. Satis itaque omnia pro sua libidine agentes, & ex isto igne fortassis incendium urbis fore videntes, quidam ex studiosorum caterva venit ad eos, & omnes abire jubet usque in crastinam diem, jam laboribus esse confessos, inquiens, Magnificos, si Diis placet, Dominos studiosos; illis esse quiescendum.

Ad hanc orationem omnes discesserunt, & statim dicto audientes fuerunt, sic dies Lunæ calamitosæ tragœdiæ epitasis. Nam dies Martis, qui fuit XII. Octobris tragœdiæ isti ultimam partem imposuit. Ac vix dies ortus erat, cum altissima illius domus tecta nebulones mechanici artifices, etiam pretio conducti, dejiciebant, Latomi intus & extra ædes diruere & deformare conabantur lateres. Denique is erat illorum animus, amplissimas illas ædes lapideas funditus revertere, si potuissent, ne vel illarum vestigium unquam extaret, aut tandem sic miserrime destruere, ut ad inhabitandum ineptas redderent. Has cum demoliuntur, convenerat seditionorum ædem multitudo, quæ operas illas ad demolendum animaret vel eos, ne ab opere interturbarentur,

tur, revocaret. Quem furorem omnes pii, boni, honestique cives, cum animadverterent, obstupescunt, & quidpiam, quod postea auditum est, extimescunt, nimirum istam sceleratorum colluviem domus orthodoxorum invasuram, & ordine diripendos esse omnes, qui studiosis & istius farinæ hominibus adversabantur. Hic rumor de ædibus privatorum diripiendis exterruit multos sic, ut alii de vita & fortunis suis desperantes fuga sibi consulerent, alii præ metu trepidantes, quo pacto adversus hanc perditionem hominum rabiem se tutarentur, cogitarent.

At dicet aliquis, cum impii isti laxis habenis sic grassarentur, nulli ne aderant in tam celebri & primaria totius Poloniæ urbe, Proceres, & ex Nobilitate summi viri, qui potuissent, si non sedare, saltem compescere istam seditionem? Maxime, sed quo animo, tam tarde manum admoverint, varia inter bonos & judicio præditos orta est opinio. Aderant enim in urbe Illustres & Magnifici Viri, D. Albertus a Lasko, Palatinus Syradiensis, & is, de quo supra mentionem fecimus, Cancellarius Regni, qui tandem commoti, ut dicebant, hac intolerabili plebis seditionis insolentia, venerunt in prætorium, consultaturi de sedanda hac seditione, ne incendium illius ita arderet, ut postea extingui non possit. Hos sequuti ex Canonicorum grege duo, & deinde aliquot Nobiles vicini urbi, qui audita hac fama accurrerant in urbem, & per arcem ingressi fuerant; totos enim duos dies urbis portæ clausæ fuerant, ne ex suburbis major sceleratorum numerus seditionis accederet.

Proceres igitur de hac seditione in prætorio agunt, & conferunt cum consule, & urbis senatoribus, hancque seditionem pessimi exempli se vehementer dolere dicunt. Idem duo Canonici illi afferunt, sui ordinis homines, scilicet, ægre ferre. Quare de illa compescenda serio consultandum, deque arcendis istis improbis, ne promiscue & cædes & direptio ac præda fiat in urbe. Rogantur singuli ut sententias dicant. Et cum ad Nobiles ventum esset, & ex illorum numero exstiterit vir egregius Nicolaus Dluski, strenuus & magni animi, qui gravi oratione taxat omnium pusillanimitatem, quibus videntibus & audientibus tam horribile scelus a nefariis hominibus commissum, & quædam alia audacissime adjecit, quæ quorundam animos pungere potuissent. Ad extremum concludit, in hujusmodi rebus, sicut fit in incendiis publicis, non diu consulendum, sed maturandum, festinandum, seditionem statim sedandam, in ipso facinore & actione violentiæ inventos rapiendos & in carcerem conjiciendos, ac severe castigandos. Non esse amplius cunctandum, nec longiori cunctationi dandum locum. Hujus Dluski nobilis & vere generosi viri consilio omnes assentiuntur, quo circa Proceres cum Nobilebus & aliis eo se conferunt. Sed interea præmoniti multi ex studiosorum ordine, qui ibi aderant, velut in excubiis dispositi, & a Triariis, statim inde abeunt & dilabuntur. Eques ille nobilis Dluskius eo accurrit cum aliquot suis famulis, in eos impetum facit, dissipat, fugatque Scholasticos, qui adhuc supererant, & plebem seditiosam, & interim lente isti Proceres veniunt, qui jubent omnes domum abire graviterque objurgant, &

ex

ex iis, qui ædes demoliebantur, sex aut octo in vincula rapiuntur, atque in prætorium trahuntur. Sic istis seditiosis dilabentibus & aufugientibus extincta est illa tragœdia, ac seditio, die illa Martis circiter horam vicesimam, ædibus illis direptis, deformatis & miserrime destructis.

Tum vulgus, ut est vanum & mutabile semper, partim reprehendit tam audax & inauditum facinus, partim etiam alii sibi timent. Cœpit enim dolor malos, & quædam pœnitudo facti, sed sero. Uterque Magistratus Arcensis & Urbanus hanc impiam funestamque seditionem Palatino & Capitaneo Cracoviensi, illustri & magnifico Viro, D. Petro Zboravio literis perscribit, qui nuntio tam horrendæ seditionis vehementer commotus miratur, quæ mala mens istos flagitosos impulerit ad istud audendum, hoc præsertim tempore, dum in proximis Comitiis, generalique Regni Warsaviæ conventu, sancta esset, & ab omnibus subscripta pax publica, & pœna decreta adversus hujusmodi violatores pacis. Quare hac indignitate facinoris improbissimi motus, remedium præsentissimum pro suo officio & autoritate adhibere cogitat. Scribit ad consanguineos & amicos nobiles ac clientes, & parat iter Cracoviam, ut istos confidentissimos seditiosos meritis pœnis afficiat.

Istis fere diebus Episcopus Cracoviensis iter adornat Cracoviam, qui audita seditione, ingenue facinus improbat. Studiosi Canonicos præmitunt, qui illum ad eorum causam tuendam animare possint, & auxilium ejus implorent. Ille contra reprehendit eorum licentiam & pervicaciam.

ciam, ac minime se posse fautorem tanti sceleris esse asserit, licet dixerit, se facturum esse, quantum pateretur ejus senatoria integritas. Palatinus itaque Cracoviensis xx. Octobris suis amicis & frequenti nobilitate comitatus, cum Palatino Lublinensi, & nonnullis aliis Senatoribus Regni venit in urbem, & sub vesperam ingressus est. Postero die clauduntur portæ. Nobilitas in arcem convenit ad Palatinum consultatura de hoc facinore.

Ceterum toto illo tempore, a finita seditione multi ex sceleratis in vincula conjecti, ab utroque Magistratu, quos tum interrogare & ab iis sciscitari incipiunt, qua audacia & consilio freti, & quibus autoribus hæc impia aggressi fuerint. Quæstiones adhibentur, multa horrenda fatentur.

Ex studiosorum contuberniis multi consci, tam nobiles quam plebei, tunc miris artibus ex urbe aufugiunt. Cum itaque diu per illos tres dies consultatum esset, deliberatum decretumque ut die Lunæ sequentis hebdomadæ res hæc tota solenniter tractaretur & examinaretur. Quamobrem illa die urbe clausa, & civibus, ut arma caperent, & circa prætorium adeissent, imperatum. Veniunt in prætorium Ordines Regni, ut cognitio habeatur de hac seditione, ac imprimis nobilitas Evangelicorum petit & urget, ut inquiratur de autoribus & reis seditionis. Postea facile de privatorum injuriis & damnis actum iri. Quod factum diligenter & accurate, sic ut ipsi studiosi, certis demonstrationibus ac perspicuis probationibus autores & rei seditionis peracti sint. Sic omnis

nis culpa & crimen perduellionis ac seditionis in istos studiosos, ac eorum consceleratos conjicitur. Qui quoniam sibi fuga consuluerant, & multi ex nobilitatis Ordine esse dicebantur, difficilior deliberatio oritur. Attamen cum publicæ sanctioni factæ in postremo Conventu Warsaviensi obnoxii sint, & eam fregerint ac violarint, omnium suffragiis decretum est, ut res hæc tota, & tam atrox facinus per omnes Palatinatus ad totam Nobilitatem prescribatur, de quorum deinde sententia constituet Palatinus Cracoviensis cum nobilitate provinciæ Cracoviensis, quo pacto hujusmodi seditiosi sint puniendi, & ipsa Academia cum Rectore & aliis, multanda. Religionis orthodoxæ homines suam injuriam publice, damnique magnitudinem in tabulis publicis professi sunt. Idem fecerunt Nobiles & alii quibus ingens damnum datum est. Insolens ista seditio plurimum sauciavit animos Nobilitatis, qui nisi essent leniorum naturæ quam in aliis regionibus, potuissent quidpiam gravius in autores seditionis decernere & adgredi. Sunt deinde die Martis, quæ erat xxvi. Octobris capitali suppicio affecti quinque mechanici artifices, quod seditionem hanc juvissent, & etiam Magistratui urbano interdicenti ne quispiam civium se immisceret huic seditioni, non paruissent.

Sunt & alii in vinculis, de quibus, causa cognita, Magistratus quid sit faciendum, judicabit. Plebs interea partim obmurmurat, partim tacet, sed Pontifiorum concionatores, licet illis sit vetitum a suo Episcopo, seditiosas saepius habuerunt conciones, qui si populum ita efferatum haberent,

berent, ut vellent, aut nisi nobilitatem irritatam & læsam hoc facinore metuerent, novum incendium movere possent. Hæc est Tragiæ illius motus Cracoviensis catastrophe, quem utinam Deus Opt. Max. sic ad lætum exitum perducat, ut pax ab improbis violata resarciantur in integrum; neve in posterum audeant tranquillitatem Regni non necessariis istis motibus perturbare ac concutere. Dominus Deus hoc Regnum conservet, qui murus Europæus & aheneus est adversus Barbaros, ne mutuis dissidiis labefactatum corruat, unde postea tota Europa in summam & ultimam ruinam venire possit. Res Regni in proximis Comitiis satis constanter stabilitæ & dispositæ sunt, & præsertim quod ad regem Henrichum attinet. Id animadvertis ex scriptis literis, quas omnes Regni Ordines ad illum scripsierunt. Harum exemplar ad vos mitto. Sic vos eorum, quæ scitu digna sunt, participes facere volui libenter, quo de animis nostrorum, etiam post Regis Henrichi discessum dijudicare possitis. Perbeæ omnia constituta, sed a factiosis tantum cavendum, ne quidpiam moliantur artibus Gallicis instructi. Quicquid sit Nobilitas valde irritata est & in Regem Henrichum exasperata. Vix poterunt ullis figmentis placari, præsertim quia istis diebus nostris dimicandum fuit cum Scythis vel copiis Scytharum & Turcarum, in campis Podolicis, ubi felicissime conseruerunt cum illis & sic profligarunt aliquot millia, ut pauci effugerint. Quare vix credent nostri in posterum Henrichi verbis sesquipedalibus & ampullatis, quibus se cum cunctis Monarchis confert, & de illis multa sibi promittit. Copiæ enim ejus, quibus nos tuetur, sunt verborum, non rerum.

Istis.

Istis assuevit præstigias facere multis, sed credite,  
sapient isti nostri, quod ut faxit omnipotens Deus  
rogandus est, qui & nostri & totius suæ Ecclesiæ  
pro sua immensa misericordia miserebitur. Felicissime Valete. Cracoviæ Calend Novemb. Anno  
Domini 1574.

Addictissimus & vestri observantissimus

Christophorus Thretius.

